numero dixi; ad ſalutem Imperantis, quia in Statu Polyarchico pluresilli, penes quos eſt ſumma rerum, habentur pro una perſona ficta, nemo enim illorum ab altero ſeorſim gaudet juribus Majeſtatis, ſed omnes pro indiviſo.

Ex quibus apparet 1. ad rationem ſtatus in genere non pertinere, ut ſubjectorum parentium provideat utilitati, nam quamvis illis rerum Publicarum ſpeciebus, quæ naturâ ſuâ bonæ ſunt, rectiſſimus iſte ſcopus ſit propoſitus, tamen ſunt aliæ etiam, quæ utilitatem Imperantis tamen reſpiciunt, ut Tyrannis & Oligarchia. Qui igitur imperat, ut Rex legitimus, per rationem ſtatus, eo ipſo, quo ſuam quærit ſalutem, etiam ſubditorum expetit ſalutem; qui vero ut Tyrannus, etiam cum ſuppreſſione ſubjectorum ſtatum ſuum ac utilitatem, nititur conſervare. Apparet 2. aliud eſſe ſtatum ſive Majeſtatem in Republica aliud rationem ſtatus: nam ratio ſtatus magis concernit adminiſtrationem ſive modũ regiminis, ad Majeſtatem ut ad finem congruè ordinatum, ex gr. cùm priſca illa Romanorum Respubl.